

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Gebri Arabis Chimia

Geber

Lugduni Batavorum, 1668

Mundatio aluminis lameni

[urn:nbn:de:bsz:31-95581](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-95581)

Mundatio aluminis Glaceti.

Multa possunt de ipso præparari sine ipsius mundatione. Aliqui tamen in hunc modum mundant : Ponatur in alembico & extrahatur inde tota humiditas, quæ multum in arte ista valet. Feces in fundo vasis remanentes, vel dissolvantur supra lapidem, vel in aqua inde extracta, vel reserventur.

Mundatio aluminis Iameni.

Alumen Iameni quemadmodum glaciale præparatur : excepto quod in hac arte majoris est virtutis.

Mundatio aliorum aluminum.

Plura adhuc inveniuntur alumina, quæ ut jam dicta, præparantur & mundantur.

Mundatio atramentorum & primo de nigro.

Atramentum nigrum sic mundatur. Primo solvatur cum aceto mundato : Postea distilletur per filtrum, & coaguletur : Et iterum solvatur cum eodem quod ab eo distillatum est : Et tunc per alembicum distillentur feces de hac distillatione : Calcinentur & postea terantur, & iterum in sua aqua dissolvantur & coagulentur. Vel ipsa aqua ad velle artificis reseruetur.